

~~E. 1. 17. 10~~

Sammlung

~~E. 1. 17. 10~~

~~XXVIII. 9. or~~

~~XV. 8. a~~

X. B. 55

58.

- 1
- 2
- 3
- 4
- 5
- 6
- 7
- 8
- 9
- 10
- 11
- 12
- 13
- 14
- 15
- 16
- 17
- 18
- 19
- 20
- 21
- 22



DISPUTATIO JURIDICA
De
LIBELLO,

vulgo
Clage oder Claglibell/

Quam
Consensu Magnifici Fctorum Ordinis
in Illustri SALANA

SUB PRÆSIDIO
VIRI

Nobilissimi, Amplissimi, Consultissimi & Excellentissimi
DN.

JOHAN. VOLK. Bechtmanns/

J. U. D. Famigeratissimi & Profefs. Publ.

Extraord. meritissimi,

Patroni, Promotoris & Præceptoris sui omni honoris,
& observantia cultu devenerandi,

Publicè discutiendam offert

ADAMUS NICOLAI, Budifs. Lusat.

Autor

Addiem Octobr.

In Auditorio Fctorum.

JENÆ Typis JOHANNIS NISII
ANNO MDC LVIII.

Dem
Edlen/ Ehrenvesten/ VorAchtbarn und
Wohl Fürnehmen
Herrn

Gottfried Lehmann/
Fürnehmen Bürger und berühmten
Handelsmann in Breslau/

Seinen hochgeehrten Herrn Oheimb
Ubergibet

Aus schuldiger Pflicht und sonderbah-
rer Freundschaft Bezeugung

dieses

der

AUTOR
ADAMUS NICOLAI.



J. N. D. N. J. C.

PRÆLIMINARIA.

Notorium est, in processu, quem *Dd. formale Judicii* appellitant, *quædam precedere judicium, quædam in ipso fieri, quædam sequi, quæ judicium precedunt, preparatoria appellantur*, fiunt usque ad litis contestationem. *Vultej. lib. 2. J. R. c. 27.* à quâ tunc demum judicium strictè acceptum incipere de jure Civili verius est *per l. 1. C. de Lit. Contest. & l. amplius 15. ff. rat. rem hab. Treutl. Vol. 1. D. 12. th. 2. lit. A. Gail. 1. Obs. 74.* & sunt *vel Substantialia Ludvvel. in D. 26. th. 3. vel accidentia & incidentia*, quorum præcipua sunt Contumacia, Dilatio, Feriæ, Satisfactio, Libelli oblatis mutatio, & reconventio *Ludvvel. d. D. 26. th. 22.* Quæ dum hoc loco nihil negotii faciunt, merito seponimus. *Substantialia* verò, quæ exinde dicta, quoniam ad judicii constitutionem necessariò requiruntur, & nisi fiunt, judicium nullum redditur, *Vultej. lib. 2. J. R. c. 27.* sunt (1.) Citatio quæ principium, basis, & fundamentum Judicii est *Gail. 1. Obs. 74.* & (2.) Actionis editio sive Libelli Oblatio, quæ duo absque ullo dubio præsupponunt Processum jam esse impetratum virtute Citationis, quæ præcisè ante judicium requiritur, adeò ut omnis actus judicarius contra non citatum celebratus regulariter ipso jure nullus sit *Gail. 1. Obs. 48.* Reus, enim

A 2

enim

enim omiſſâ citatione alias judicium ſuſcipere nequit
quod & confirmat Definitio illius, quæ eſt actus judi-
cialis, quo reus judicis authoritate & mandato legitimè
vocatur judicii ſuſcipiendi cauſa *Ulm. D. 5. th. 4. n. 18.*
vel ut *nobiliff. Dn. D. Struve Præceptor & Patronus meus*
æviternum venerandus definit: Citare vel in jus vocare
eſt denunciare adverſario, ut ſe ſiſtat coram magiſtratu,
litis cum ipſo coëundi cauſa ſive eum conveniendi gra-
tia. *Exerc. in Pandect. 5. th. 2.* Et hoc poteſt fieri vel
per publicam Citationem, quæ fit per edictum, affixis pu-
blicè citationis literis eo loci, ubi adverſarius, qui cita-
ri debet, domicilium habet, ſi verò vagabundus, & nul-
libi reperitur, ita ut actor ignoret, quo citari & citatio
inſinuari poſſit *l. 8. C. quomod. & quand. jud. Nov. 112. c.*
3. in pr. tunc literæ in locis publicis vel templorum val-
vis, vel portis aliisve locis ut commodiſſimè in ipſius
notitiam venire poſſent, debent affigi, *Vel per priva-*
tam, ſive realem ſive verbalem (quæ diſtinctio non eſt u-
nivoca, ſed æquivoca, quia ſpecies non æqualiter parti-
cipant de natura Citationis in genere, ſed ſaltim de Ci-
tatione verbali, ut ſentit *Nobiliff. Dn. Præſes.*) *Realis* e-
nim quæ & actualis dicitur, fit juffu majorum Judicum,
per apprehenſionem Perſonæ, quando nimirum re-
us ob certam cauſam personali captura per miniſtros
judicis *durch die Gerichts Diener* ad judicium ducitur,
& quidem in Criminalibus Corporis pœnam concer-
nentibus locum regulariter habet. *Verbalis* quan-
do reus vel ipſius procurator per judicem ore proprio
vel per nuncium coram vel in faciem citatur *l. 7. l.*
9. C. quomod. & quand. jud. ut compareat in judicio,
quæ

quæ Comparitio finis & Effectus est Citationis *Gail. 1. Obs. 51.* respectu actoris, ut reus ad ejus instantiam citatus compareat; respectu vero rei, ut se interim ad Defensionem præparare possit. quod non solum de verbali & reali, sed quoque de ea, quæ per edicta fit, & generaliter de omnibus Citationum speciebus, testantur *Gail. 1. Obs. 56. n. 6. Obs. 57. n. 12. Obs. 58. n. 3.* Processu itaque jam impetrato, & Citato comparente Libellus offertur & actio instituitur, de quâ materiâ quædam pauca pro captû nostro sumus proposituri, quæ ut benè procedant, in nomine Sacrosanctæ Trinitatis exordiemur.

THESIS. I.

*Libelli significatio est vel Homonymia (1)
vel Synonymia (2).*

Priusquam ipsam aggredimur vocabuli homonymiam, sciendum est, quod Libellus non à *Libra* in quâ ponderatur Justitia, ut nonnulli volunt, sed à *Libro* dicatur. Liber enim interior pars est corticis, quæ ligno cohæret, in quo ante usum chartarum exarabantur literæ, ut in palmarum foliis *notante Plinio.* Fuitque antiquissimi moris. *Alex. ab Alex. lib. 2. c. 30.* Et librorum appellatione continentur omnia volumina sive in chartâ sint sive in membrana, sive in quâvis aliâ materiâ. Sed & si in philyra aut in tilia (ut nonnulli conficiunt) aut in alio aliquo Corio, idem erit dicendum *l. librorum 52. ff. de Legat. 3.* (1.) Homonymia Libelli varia est, diversaque denotat genera. Sumitur enim 1. Pro parvo Libello *ein flein Büchlein* vel pro

*Notatio
Libelli.*

*Homony-
mia Li-
belli.*

A 3.

tabula

tabula fidei commissoria, h. e. in quâ fidei commissum scribit testator *l. 1. in pr. ff. de tab. exhib.* Item si libellus, inquit, aliudve relictum esse dicetur, decreto comprehendam. 2. *Pro Commentario in sacris literis cap. 2. in pr. x. de Summ. Trin. & fid. cath.* Damnamus ergo, inquit Innocentius, & reprobamus libellum seu tractatum, quem Abbas Joachim edidit. 3. *Pro Scheda supplici, quam vulgò Supplicationem dicimus*, quâ populares postulata sua principibus exponere solent *tot. tit. C. quand. libell. princip. dat. lit. contest. fac. l. 15. ff. de in jus voc. l. non distinguemus 32. §. cum quidam ff. de recept. & qui arbit. recep.* Et sic usurpavit Suetonius in Augusto: promiscuis salutationibus admittebat & plebem tanta comitate aduentium desideria excipiens, ut quendam corripuerit quod sic sibi libellum porrigere dubitaret, quasi Elephanto stipem. Hinc libellos agere dicuntur qui libellis Principi datis subscribendis vacant. *l. rescriptum 12. ff. de distract. pignor.* Et libellorum magistri, qui istos libellos supplices à privatis oblatos tractabant: quo in honore fuisse Papinianum apud Imperat. Severum Pertinacem licet cognoscere *ex d. l. 12. libellos inquit Tryphoninus, agente Papiniano. l. unic. ff. de Offic. pref. prat.* Et hujusmodi libellos supplices offerentes hinc inde à Patribus Libellatici vocantur, uti constat *ex Epist. Divi Cypriani 52. n. 39.* 4. Accipitur pro Epistola Assertoria, quam vulgò *Credentiam vel certificationem* vocamus: cum superior Magistratus fidem facit pro subdito vel pro alio. Et res taliter etiam se habet cum legatis Principum, quibus, quando ad aliū ablegati sunt Principem, nullus exhibetur honor, donec libellum obtulerunt, Sie haben

ben denn ihr Creditiv übergeben. Hanc quoque Asserto-
riam epistolam ab Episcopo Clerici habere solent. l. 22.
§. præterea jubemus C. de Episc. & Cler. 5. Dicitur libel-
lus Oratio, qua boni Imperatores olim complecti solebant ea,
qua de rebus arduis ad Senatum Romanum censenda refere-
bant l. 20. §. præter hæc ff. de pet. hered. 6. Litera vel Scri-
ptura famosa etiam dicuntur famosi libelli ein Paßquill/
hoc est in contumeliam alterius editi tot. tit. ff. & C. de
Fam. Libell. 7. Appellatur libellus repudii ein Scheide-
brieff/ quem Maritus uxori, vel uxor contra marito re-
pudii ergò mittit l. 7. ff. de Divort. & Matth. 5. ubi Salva-
tor inquit: Quicumque repudiaverit uxorem suam, det
illi libellum divortii. 8. Dicitur libellus qui à litigatori-
bus recusandi Judicis causa exhibetur l. apertissimi 16. C. de
judic. Quando enim litigatores Judicem esse suspectum
putant, priusquam lis inchoatur, eum recusare, & libel-
lo recusationis ei porrecto ad alium Judicem recurrere
possunt. 9. Libellus pro Scheda, qua in foro aut Ecclesia-
rum valvis proponitur, veluti hodiè amat fieri, de Suggestu
proclamatur. Invenisse puta Sempronium annulum
aureum, & redditurum ei, qui desideraverit l. 43. §. 8.
vers. solent plerique ff. de Furt. 10. Libellus Appellatori-
us, qui appellationis causa à Litigatoribus proponitur
11. Libellus rerum l. si ego Seja. §. dotis autem vers. pla-
nè si ff. de jure dot. in quem mulier conferebat ea, quæ
in domum mariti præter dotem inferebat, & in usu
habebat, eumque Libellum marito offerebat, ut
is subscriberet quo certum esset, in domum ejus ea
fuisse illata, ne, si quando separatio fieret, posset dene-
gare. 12. Libellus Familiæ l. 9. ff. de Legat. 3. 13 Li-
tera

vera Dimissoria seu Apostoli nominantur quoque libelli in
tit. ff. de libell. Dimissor. Dicuntur vero dimissorii, quod
 per eos causa ad eum, qui appellatus est, dimittatur. *l.*
dimissoria 106. d. V.S. qui græco nomine $\delta\pi\omicron\tau\epsilon\varsigma\ \delta\pi\omicron\sigma\epsilon\delta\mu\epsilon\upsilon$,
 quod mittere significat, apostoli vulgò dicuntur, *We-*
senb. in parat. ad tit. de Libell. dimissor. 14. Denique si-
 gnificat *Libellus scripturam, quam Actor reo exhibet, conti-*
nens intentionem actoris adversus reum l. 1. §. 1. ff. d. E-
dend. In quâ significatione in hoc nostro tractatu
 accipimus, & passim hodie in judiciis accipitur. *Ob-*
dendorp. in tract. d. formand. libell. *Synonymia* va-
 rias nobis denotat Libelli appellationes. Vocatur
 in linguâ germanica *Clage* / ut in *Const. Elect. Aug. 2.*
part. 1. & in ordin. proc. judic. tit. 5. Clag libel. In Jure
 Civili *Citatio l. 3. C. de Edend. l. unica C. d. Lit. Contest.* & ut
 volunt *Conventio §. tripli 25. Inst. de Action. Reconventio l. se-*
idem 11. §. sed & ff. de Jurisdic. c. cum dictus 2. Ext. de
Ordin. Cognit. & t. tit. ext. de mut. petit. mutua peti-
tio appellatur, in vernacula nostra Gegen Clag Ordin.
Cam. Imp. p. 3. tit. 30. Von der gegen Clag. Intentio
l. 2. in fin. ff. d. Except. Petitio l. ult. C. de Edend.
 A Doctoribus dicitur *Fundamentum Judicii. A Modest.*
Pistor. verò vol. 2. Cons. 21. n. 4. Truncus arboris judicia-
ria: Sicut Truncus regit totam arborem, ita Libellus
 regit totum processum. *A Trentl. Syllogismus Juridicus*
Vol. 1. D. 4. th. 10. lit. B. A Wesenb. parat. ff. de Edend.
n. 3. appellatur Syllogismus Practicus & Judi-
cialis. Et alii alias ipsi imponunt ap-
 pellationes.

Synonymia
Libelli.

TH. II.

THESIS II.

Libellus (1) est brevis & aperta verborum ^{Definitio}
Conceptio (2) *Actoris* coram *Judice* compe- ^{Libelli.}
tente *adversus* *reum* (3) *aptam* & *convenien-*
tem *conclusionem* *continens* (4).

(1.) **Q**uemadmodum in multis rebus, quæ aliàs luce meridiana clariores, multa controvertuntur, sic quoque hâc in definitione quidam nobis contradicunt, & quidem qui libellum per Scripturam indistinctè definire volunt. *Specul. de Libell. concept. §. 1. Melch. Kling. ad c. 1. n. 9. ext. de Libell. Oblat. Vult. lib. 2. f. R. c. 29. Treutl. Vol. 1. D. 7. th. 10. lit. B. & Schneiduvvin. ad §. 1. Inst. de Action. n. 99.* *Libellus*, inquit, brevis & ordinata Scriptura est & nominat scripturam, quia de substantia Libelli esse putat, ut in scriptis offeratur *c. 1. ext. de libel. oblat.* Hos verò Contradicentes, quamvis magnæ sint auctoritatis, nihil tamen eos moramur, sed potius Veritatem in apertum campum, quo Libellus quoque sine scriptura fieri possit, deducere volumus. Licet itaque concederemus de Jure Pontificio seu Canonico, &c. attamen de Consuetudine, quæ derogat Juri scripto *l. 3. §. fin. & ibi Bart. ff. de Testib.* in multis locis, præterea etiam in principum aulis servatur, ut in judicio ordinario Libellus in scriptis non offeratur, sed tam actor quam reus coram Notario pronuncient suas petitiones, usque ad sententiam definitivam, *sehen zu rechte von Mund in die Feder.* De Jure Saxonico, præprimis novissimo Electorali accuratè notandum, quod hodiè omnibus sit necessarium Litigatoribus petitionem &

B

jura

jura sua vivâ voce, minimè verò scriptis proferre, & ex charra in calamum dictatis proponere, per *expressam Elect. Aug. Const. 1. in part. 1. in verb.* daß vor der Kriegs- befestigung von Mund in die Feder verfahren werden sol. Et hoc in eundem finem institutum videmus, ne lites per multas Legum & Juris subtilitates domi excogitatas, & deinde in scriptis prolatas, protrahantur, sed ut eo citius finiantur & determinantur. Et hæc prædicta ita intelligenda sunt, nempe, ut non excludant actorem in judicio, se ad libellum ante oblatum saltim referentem eumq; vivâ voce repetere volentem, qualem formulam *Dn. Carpz. d. loc. defin. 3. n. 4. habet*: Er wolle sein übergebenes Libell von Wort zu Wort anhero wiederholet haben/und der Antwort gewertig seyn.

(2.) Porro dicitur in hac nostrâ definitione *brevis & aperta verborum conceptio*, quâ de re vid. *Obrecht. de concip. & formand. Libell. c. 1.* quia (a) omissis supervacuis, ea tantum quæ ad rem pertinent, & quæ præsentis causæ conveniunt, actio complecti debet, & quia (b) Actio debet esse perspicua. Alias nec à Judice nec à reo intelligi, nec reus an cedere an verò contendere debeat, respondere, nec quoque Judex commodè super ea sententiam dicere posset *d. lib. c. 11. n. 5. & seqq.*

(3.) *Actoris coram Judice competente adversus reum.* Judex competens, qui & suus dicitur *l. 49. in pr. ff. de judic. l. pen. C. de juris d. omn. judic.* est, ad quem litis pertinet cognitio h. e. qui jurisdictionem ejusdemque simul exercitium habet, vel super res in litem deductas vel in personam rei *d. l. pen. 2. ff. si quis in jus voc. & l. 28. de re jud.* Vocabulum *Actoris* in jure variè accipitur, vel pro eo qui causas in judicio agit; & pro advocato, vel pro eo quem

eo, quem tutor & curator ad agendum quasi procurato-
rem auctore Prætoris constituit *l. unic. C. de act. à tut. vel
cur. l. tutor. 6. ff. quand. ex fact. l. 10. C. de appellat.* Hoc
loco *Actor* est is, qui agit & vocat alium in jus *der Kläs-
ger* quippiam ab ipso petens in iudicio *l. 13. ff. de judic.
& l. 10. ff. fin. regund.* *Reus* denique est, qui in iudicio
convenitur, à re quæ petitur, nuncupatur: quia quam-
vis conscius sceleris non sit, reus tamen dicitur, quam-
diu in iudicium pro re aliqua petitur *c. forus. 10. ext.
de V. S.*

(4.) *Aptam & convenientem conclusionem conti-
nens.* De quâ infra.

TH. III.

Dividitur libellus (1.) In Civilem vel ^{Libelli}
Criminalem (2.) in scriptum & non scriptum ^{Divisio.}
*(3.) In conventionalem & reconventiona-
lem.*

(1.) **Q**UOD primam attinet divisionem, quâ actio in
civilem *l. 1. §. 1. ff. de edend. Nov. 53.* & crimina-
lem *l. libellorum 3. ff. de accusat. l. 17. C. eod. l. 3. C. de his
qui accus. non poss. Gl. inc. fin. extr. de libelli oblat. Lanfr.
inc. quoniam ad verb. petitiones de prob.* Ille vulgo in *c. 1.
de Libell. Obl.* Libellus reclamationis dicitur, quia in eo
reclamatio continetur. Et fortè eo loco Pontifex ad
l. ult. C. de annal. except. respexit, ubi clamare in jus vo-
care significat. Nam qui obnoxium suum ait *Imperator
Justin.* in iudicium clamaverit & libellum conventio-
nis ei transmiserit *d. l. ult.* Hic verò nimirum Crimina-

lis libellus dicitur inscriptionis , quia is qui hunc
proposuit , se in crimen subscribere debet *l. 7. in pr.
ff. de accusat. & in script. l. 3. in pr. & §. 2. eod.* Et accu-
sationis : quia accusationis nomine proponitur & de-
finitur ab *Obrecht. tract. de concip. & formand. libell. c. 2.
n. 3.* quod sit brevis & aperta verborum conceptio, scri-
pto futuræ litis speciem criminaliter in iudicio propo-
nens , & qui talem offert vel pœnam corpori infligen-
dam, vel pecuniariam fisco applicandam intendit. Ci-
viliter verò libellus proponitur , si quis de re familiari
pecuniariter , & in proprium commodum agit : sive
commodum illud ex contractu, sive ex delicto quodam
descendat *Obrecht. d. loc. n. 17.*

(2.) Excussâ hâc divisione intuebimur alteram,
quando videlicet libellus in scriptum, vel non scriptum
distinguitur, quorum quilibet ratione formæ vel sim-
plex seu summarius (non distinctis articulis & per ver-
bum *Wahr Dn. Hahn. tit. d. Edend. n. 3.*) est, vel articu-
latus. Primariam Divisionem quod spectat, illam sa-
tis firmam esse neminem latet *l. 1. §. 1. ff. eod.* Subdi-
visio verò, quæ monstrat quisnam sit simplex & absolu-
tus libellus , nimirum ubi continuâ serie sive oratione
absque articulorum designatione actoris intentio con-
tinetur *Vultej. lib. 2. §. R. c. 29. Umm. D. 6. th. 8. n. 38.*
Articulatus verò quando merita causæ per articulos di-
stincta & formata proponuntur. Sed notatu dignum
venit, quod Libelli articulati antiquitati fuerint inco-
gniti. Veteres enim facti speciem summarie tantum
& simpliciter proposuerunt *Obrecht. tract. de formand.
Libell. c. 17. num. 4.* & in foro nostro Saxon. Isti libel-
li articulati non admittantur *ex Const. Elect. Aug. 2. part.
1. &*

1. & quidem adeò, ut quamvis pars rea contra ipsum nõ excipiat, judex tamen ex officio illum rejicere debeat *Ordin. Process. judic. tit. 5. von der Clage / quâ de causâ Carpz. hanc profert definitivam ad d. Const. 2. def. 1. n. 6.* quod talis libellus ipso jure nullus sit, adeoque reus exceptionem de isto libello opponens, quodocunque non tantum ante, sed etiam post litem contestatam audiendus sit *c. cum dilecti 3. extr. de emt. vend.* Licet Camera cum aliis Curiis, ubi uterque tam simplex quàm articulatus admittitur libellus contrariam habeant opinionem *Cammergerichts Ordnung p. 3. tit. 12. §. zum andern.*

(3.) Denique dividitur libellus in *conventionalem §. tripli. 24. Inst. de action.* Quando respectu actoris priori loco adversus reum conventio instituitur; vel *reconventionalem*, quando è contrario actio ab ipso reo adversus actorem instituitur. Quorum uterque *vel principalis est & prima instantia*, quando coram giudice causam principalem & primariam, *vel Appellatorius sive supplicatorius*, quando coram giudice ad quem causam appellationis secundæ videlicet instantiæ, complectitur. *Marant. part. 4. dist. 6. n. 1. & dist. 9. n. 1.* Quæ divisio ex assistentia Legis & Prætoris ingentem vim & efficaciam meretur.

TH. IV.

Subjectum seu persona quæ libellum in judicio offerunt sunt: vel Actor (1.) rem & interesse suum petens (2.) vel procurator & ad- *Subjectum sunt persona offerentes.*

B 3

voca-



vocatus, qui mandatario nomine rem pro-
mouet.

Causa effi-
ciens li-
belli.

(1.) Quoniam jam compendiosè quid & qualis sit Li-
bellus, quomodo accipiatur & dividatur, expli-
cavimus: sequitur jam subjectum seu personæ quæ pos-
sunt libellum in iudicio offerre, vel non. Sed prius no-
tandum venit, quæ nimirum causa sit efficiens, quæ li-
bellum offerri disponit, & dicimus legem esse causam
ex *Auth. offeratur C. de lit. contest.* & ipsa *Nov. 53. c. 3. ubi
Imperat. Justin. inquit*: Sancimus igitur dum admoni-
tio oblata fuerit alicui, modis omnibus offerri libel-
lum. Cui vero & quibus offeratur vid. *Specul. in lib. 2.
de libell. obl. & in lib. 4. §. restat. 10. & §. nunc videamus 11.
in fin. d. tit. Rosbach. in prax. civ. t. 33. n. 10. l. 1. in pr. C. de
edend. Bachov. ad Treutl. vol. 1. D. 4. th. 2. lit. A. & B.* Ede-
re ergò & libellum regulariter proponere omnes pos-
sunt *vel suo vel alieno nomine.* *Suo nomine* actionem seu
libellum proponit actor, vel accusator *l. 1. in pr. & §. 1.
ff. de edend.* Ubi quæritur: an nimirum ipse principalis
necessariò & præcisè actionem suam edere teneatur.
Et negativè respondetur, quia actor ipsius nomine
Procuratori sive Advocato illam in iudicio edere
mandatario nomine tradere potest. *Argum. tot. tit.
ff. de procurat.* nam & morbus, & ætas & necessaria
peregrinatio, itidem aliæ multæ causæ sæpè hominibus
impedimento sunt, quo minus rem suam ipsi exequi
possint. *in pr. Inst. de iis per quos agere poss.* Diximus re-
gulariter quia quædam dantur personæ, quæ naturâ non
admittuntur ad iudicium, ut impuberes & foemina, quæ
propter defectum iudicii nec iudices esse possunt, nec
magi-

magistratum gerere, nec postulare, nec pro aliis intervenire, nec procuratores existere *l. femina 2. ff. de R. J.* Item mente capti & furiosi, quod ratione tum temporis destituti nihil eorum intelligant, quæ in judicio alias occurrunt; Vel muti & surdi, hi enim desiderium verbis exprimere vel judicis & adversarii vocem auditu percipere nequeunt. Lege verò denegatur quibusdam sistere in judicio, ut minoribus 25. annis *l. 2. C. qui leg. person. stand. in jud. §. 2. Inst. de curat. Servis l. non idcirco ff. 44. §. ult. d. judic.* Ob poenam excommunicatis & ban- nitis *c. 2. c. exceptionem 12. cum inter 5. de except.* Depor- tatis *l. si debitori 47. de fidejuss. l. quoties 14. de Novat. & Hæreticis c. 10. de Hæret.*

(2.) *Per interesse hujus loci* nihil aliud intelligere debemus, quam damnum emergens & lucrum cessans *Treutl. vol. 2. D. 24. th. 4. lit. C.* Cujus differentiam si- mul videre licet in *all. loc.* Et huc usque egimus de actio- ne, quæ possit proponi proprio nomine, jam declaratu- ri sumus, quisnam libellum in judicio alieno nomine proponere possit, & videmus ex *l. r. & tot. tit. ff. & C. de procur.* quod procurator & advocatus ex jussu & man- dato principalis hoc peragat. Differentiam hoc loco inter procuratorem & advocatum jam inquirere nolu- mus, licet alias ex *l. 22. & seqq. C. h. r.* differentia est in- ter Procuratorem (qui plenè administrat & litis cont. Dominus fit) & advocatum, qui illi litiganti assistit. *Vid. accuratissimus Crus D. Frantz. in Comm. h. n. 2. & seqq.* Olim quidem alterius nomine agi non potuit, nisi pro populo, pro libertate, pro tutela & pro furto *ut not in pr. Inst. de iis per quos agere poss.* Sed quia hoc non mini- mam incommoditatem habebat, quod alieno nomine
nec

nec agere nec excipere actionem liceret: cæperunt suadente utilitate homines per procuratores litigare, eorumque auxilio & ope uti. *d. loc.* Non enim, teste *Cicerone*, omnia per nos agere possumus: alius alia in re magis erit utilis: ut sæpè plus conducat, res nostras per alios, quam per nos geri. Et propterea sicut amicitia comparantur, ut commune bonum mutuis beneficiis gubernetur: Ita procuratores introducti sunt, ut quibus in rebus ipsi interesse non possumus, in his operæ nostræ vicaria procuratorum fides supponeretur. *In Orat. pro sext. Rosc.* Jam expendenda venit quæstio: An nimirum in quâcunque causa procurator possit admitti? Distinguimus inter causas, vel sunt civiles, vel criminales. Civiles vel sunt publicæ vel privatæ. Causa publica tam ad alios quam ad nos pertinet: quia in eo non jus proprium, sed populi persequimur *l. 1. ff. de popul. action.* Ex quo consequenter affirmamus libellum in causa publica, non per alterum sed per eum debere proponi, qui eam movit. Deinde Procurator ad rem Domini gerendam datur *l. 1. ff. de procurat.* Sed Domini nulla res est, nisi privata. Et propterea dicimus in causa publica non posse procuratorem constitui *l. licet. 42. ff. de procurat. l. pen. §. ult. ff. de publ. jud.* In causa criminali distinguimus iterum, vel descendunt ex crimine publico vel privato. Priori modo non potest admitti procurator jure civili *d. l. pen.* quia ex causa criminali non privata, sed publica nascitur utilitas: cum in ea executio & vindicta criminis observetur. Deinde quia accusator ipse se in crimen tenetur inscribere *l. si cui crimen 7. in pr. ff. de accus. & inscript.* quod per alium facere nequit. Posteriori modo in privato crimine considerata venit

nit poena, si nempe poena est pecuniaria, putamus, omnino procuratorem esse admittendum, quia is qui delinquit poenam pecuniariam non potest effugere. Si verò poena est relegatio contrarium statuimus *arg. l. 1. §. 1. ff. an per al. cau. appell.* Sed hodie nostris moribus receptum est, in quâcunque causa, sive civili sive criminali posse admitti procuratorem. *Obrecht. tract. de concip. & form. libell. c. 3. n. 4. & seqq.*

TH. V.

Objectum seu Materia sunt res omnes, quae possunt in Iudicium deduci, & propter quas inter duos pluresvè lis est.

Quod Materiam attinet, hodiè regulariter in omnibus causis, in quibus in iudicio litigatores inter se contendunt, libellus requiritur *test. Specul. in tit. de libell. concept. §. nunc videndum n. 1.* Hoc enim non mediocriter expedit, ut scilicet quid petitum sit, clarius per libellum constet, quò omnia facilius probantur, & ut iudex tanto commodius petitioni conformem proferat sententiam ait *Baro Schenck. lib. 2. progymnas. fori tit. 2.* Et non solum fit in civilibus, sed etiam criminalibus *l. ult. C. de ann. except. l. 3. ff. de accusat. l. 16. 17. C. eod. l. 2. C. de his qui accus. non poss. & nov. 53. c. 3. §. 1. Specul. dict. loc. tam petitoriis l. si in rem 6. ff. de rei vind. quam possessorii §. fin. Instit. de interd. Hæ enim causæ, petitoria sc. & possessoria invicem se continent, ut finis iudicii possessorii sit principium petitorii. *Bald. in l. 1. C. uti possid. n. 2. & possessorium semper antecedit petitorium Vultej. lib. 4. tit. 15. Inst. Com. n. 5. & cognitio u-**

C

uius

nus, adfert aptiorem intelligentiam alterius *Gl. ad c. 7. ext. de caus. possess. & propriet.* Dicitur verò petitorium, nimirum ab effectu petitionis, quod eo jus in re nostrum esse declarari cupimus; De possessione vocatur possessorium, quia eo non deciditur jus, sed possessio, cujus videlicet esse debeat, donec de proprietate disceptetur & appareat utrum qui rem possidet, jure possideat, an verò ad eum qui in petitorio obtinebit, illa meliori judicio pertineat. *Valtej. cit. loc. n. 3. & Dn. Carpz. part. 2. Const. 7. def. 12. n. 11.* rem ita profert: Possessoria & petitoria judicia sibi invicem adeò correspondent, ut ubi petitorium seu actio aliqua realis competit, ibi etiam interdictum possessorium, & vice versa. Sed ex *Gail. lib. 1. observ. 7. n. 1. & seqq.* observandum venit duplex esse possessorium retinendæ, unum ordinarium sive plenarium, alterum summarium, sive extraordinarium, quod & momentaneum dicitur: de quibus *vid. alleg. loc. Dn. Carpzov. d. Constit. 7. def. 16. Ord. Cam. p. 2. tit. 21. in fin. vers.* Und alsbald darauff summarie ohn einigen gerichtlichen Proceß oder weitläufftige Ausführung der Sachen. Sed nihilominus receptum esse videmus, Libellum certò modò posse omitti: quâ de causa *Obrecht. in tr. de Concip. & form. Libell. c. 6. n. 5. & seqq.* tres excipit rationes, Nempe *Rationem personarum, rerum & officii Judicis.* *Ratione personarum,* cum Episcopus inter Subditos de causis pecuniariis cognoscit: quia tunc ex non scripto procedere & causas definire potest *Nov. 83. in pr.* Vel si causa apud Imperatorem tractatur: quia hujus præsentia omnem solennitatem supplere videtur *arg. l. omnium 19. in pr. C. de testam.* ut merito sine libello procedi possit. Vel in causis vilium perso-
na-

narum, quia harum causæ compendiō, breviter & sine scripto sunt dijudicandæ, quo citius alternâ contentione liberentur *Nov. 17. c. 3. in pr. & Nov. 80. c. 1. in fin.* Cui opinioni contrarius esse videtur *Bachovius ad Treutl.* ubi absurdum esse statuit, ut propter qualitatem & conditionem personarum varietur processus *Vol. 1. D. 4. th. 12. lit. D. Ratione rerum.* Nam in causis brevibus ac modicis ut quæ longiorem indaginem non exigunt, quoque restringitur Regula c. si quis cum Clerico & ibi *Gl. in verb. sine scriptura 11. q. 1. & d. Nov. 17. c. 3. in verb. breviores.* Item in causis summaris, in quibus simpliciter & de plano sine strepitu & figura iudicii proceditur. In his enim causis nullus requiritur libellus, quia in iis qualiscunq; petitio sufficit *Clem. sapè 2. de V. S.* Cum etiam agitur ex sententia vel transactione, ibi non requiritur libellus: ne executio per oblationem ejus differatur & lis ex lite, quando nimirum processus admittitur, renascatur. Denique si agitur de beneficio autoritate Apostolica obtinendo: tunc litera Apostolica loco libelli habetur *c. cum secundum Apostolum §. ult. ext. de prabend.* Tertiò ratione officii iudicis: Si iudex nempe proprio motu ex officio agit, non opus est libello, quia per se agit absque alterius petitione *l. 54. C. de Decurion. lib. 10.* Sic etiam si officium iudicis imploratur, sæpè libellus omittitur: veluti si in possessionem autoritate iudicis missus non admittitur. Et sunt adhuc aliæ causæ, quæ libelli oblationem recusant. *de quibus vid. Obrech. d. rr. d. concip. & formand. Libell. Treutl. Vol. 1. D. 4. th. 12. lit. D.*

TH. VI.

Forma Actionis seu Libelli est vel Essen- *Forma*
C 2 *tia. Libelli.*

riales vel Accidentalis. Essentialis tribus ab-
solvitur (1) Causa seu medio Concludendi (2)
Facti, quod narratur, vel rei qua petitur,
speciali significatione, & (3) petitione seu Con-
clusionem.

Conf. Nobiliss. Dn. D. Struven Syntagm. jurispr. de E-
dend. th. 39. Hillig. ad Donell. lib. 23. c. 4. lit. D. Wesenb. in
parat. ad Pandect. d. tit. n. 3. Hahn. ad hunc Aut. d. t. n. eod.
Schneidvv. ad Inst. de action. §. 1. n. 106.

Non obscurum est, quod omnis Libellus constet
Syllogismo, vel perfecto seu pleno, vel imperfecto seu
minus pleno & Enthymemate. Ille est, in quo inveni-
untur tres propositiones: Major sc. propositio, quæ ju-
stam ex jure petitionis causam ostendit: Narratio seu
Minor, qua infertur in proposita specie facti eam justam
petitionis causam subesse: Petitio seu Conclusio quæ
utramque propositionem conjungit & minorem majo-
ri includit *vid. Bart. in l. si prius 15. n. 19. ff. de N. O. N.*
Zaf. Zas. & alios in pr. Inst. de Action. Hic verò in quo
Major propositio, seu justa causa petendi omittitur, cum
jura Judici debeant esse notissima, & tantummodo fa-
ctum cum subjecta petitione proferri. *Hahn. all. loc. n.*
3. Hic oritur Quæstio: In quânam formâ seu modo li-
bellus ab Advocato debeat proferri, an formâ Syllogis-
mi perfecti, an imperfecti & Enthymematis? *Obrecht.*
d. tr. d. concip. libell. c. 15. n. 4. distinguit inter res dubi-
as & controversas, vel certas & notas. Si res certa est &
nota per consequens libellus in formâ Enthymematis
proponi potest: quia tum totius Controversiæ certamen,

men, magis in facti narratione, quam in jure seu causa petendi consistit. Si verò dubia & controversa, utile est in formâ Syllogismi libellum componere. Verum quicquid sit. Nos consultum ac utile esse æstimamus, si libellus, imprimis civilis, omnes syllogismi partes in se contineat, dicimus civilis, quia in criminalibus conclusione non est opus. *Bart. in l. quid ergo §. pœna de his qui not. infam.* Hinc Dd. libellum κατ' ἐξοχὴν appellare consueverunt syllogismum Juristarum, nec non syllogismum practicum & judicialem. *Specul. de libell. concept. §. quid Libellus. n. 3.*

TH. VII.

Causa seu medium concludendi jus siue meritum facti continet. *Causa seu Medium.*

Circa medium seu causam concludendi, quæ in libello exprimi debet, animadvertendum est actionum causas alias esse propinquas, alias remotas *Dd. in l. 1. ff. de edend.* In reali actione causæ propinquæ sunt Dominium, ut in rei vindicatione: vel quasi dominium, ut in publiciana: vel jus in re ut in confessoria. Remotæ verò causæ, sunt contractus, vel tituli, ex quibus dominium vel quasi, vel jus in re acquisitum est, veluti actor se dicit dominum equi, quia à testatore ei est legatus. In personali verò actione, causa remota est contractus vel quasi: Delictum vel quasi: Causa proxima est obligatio, quæ dicitur mater actionis *l. licet 42. §. ea obligatio ff. de procur.* Ex his in actione personali non est necessarium causam libello inserere propinquam, sed sufficit remota, contractus videlicet & delictum ex quo reus ipsi actori debeat. Nam si causa remota exprimitur, sc. con-

C 3

tra-

tractus postea libellus præsumtivè concludit, quod sufficit *secund. Bart. in l. omnes 17. §. Lucius ff. de his quæ in fraud. cred.* Unde si dico me tibi vendidisse & tradidisse librum, jus præsumit te fuisse & adhuc esse obligatum ad pretium; nisi contrarium probes. *Schneiduv. ad §. 1. Inst. d. action. n. 113.* In actione verò reali *secund. Dd. post Gl. in l. 1. ff. de edend. & Gl. inc. 2. de Libell. oblat.* causam proximam de necessitate exprimendam esse, Dominium sc. vel jus in re ex quo actio oritur. Nec requiritur ut causa remota exprimatur, contractus scil. vel titulus, quo mediante Dominium vel jus in re acquisitum est. Sufficit enim si dico, peto hanc rem, quæ pertinet ad me jure dominii, nec est opus adjici, ex quâ causa vel titulo sim Dominus, quia hoc deinde ex probationibus actoris patebit. Sed, licet hoc non sit necesse: utilius tamen est actori, si etiam causam remotam alleget, scil. ut actor dicat, illam rem ad se spectare jure Dominii, quia sit ei legata: tum enim licet ex alia causâ succumbat, fortassis quod eam probare non possit, tamen potest nihilominus ex alia causa eandem rem petere, non obstante exceptione rei judicatæ *l. 11. §. 2. ff. de except. rei judic.* Si verò nullam expressit causam; omne jus suum in iudicium deduxisse videtur, cum res nisi semel nostra esse non possit, unde obstabit ei rei judicatæ exceptio *l. 14. §. 2. ff. d. t. Schneiduv. d. loc. Gail. 1. obs. 16. n. 5. 6. 7.*

TH. IIX.

*Facti narra-
ratio.*

*Narratio est Facti in iudicium deducti
speciei seu casus commoda expositio, quæ pro
causarum varietate varia est. (1.)*

(1.) Ob-

(I.) *Obrecht. d. tr. de concip. & form. libell. c. xi. no. 29.* Ad Facti narrationem, ut commoda sit & accurata tria requiruntur: Debet enim *esse brevis*, dilucida, & verisimilis seu probabilis. Brevis, quia eo facilius à iudice, & ab adversario comprehendi memoriâ & intelligi poterit. At brevis est, si superfluis omissis, necessaria, & præfenti negotio accommodata, usque quo opus est, persequitur. Melius enim est pauca utiliter effundere, quam multis inutilibus aures hominum prægravare *l. 2. §. contrarium 15. vers. deinde C. de ver. jur. enucl.* Exempli gratia Titius Sempronium in testamento ritè confecto heredem ex semisse, at Mævium ex quadrante instituit. Sempronius ubi id cognovit, dimidiam hereditatis partem ex testamento Titii sibi relictam animo adiit, & Mævium, totius hereditatis possessorem, de restituenda sua parte rogavit, qui eam contra jus & æquum reddere renuit. Hæc narratio brevis est & necessaria, ac ad propositum pertinentia complectitur. *Dilucida* esse debet Narratio: quia alias reus deliberare nequit, an cedere an vero contendere debeat: nec iudex de re certam ferre potest sententiam, quam non rectè intellexit. At tum dilucida erit, si rerum & rei gestæ conservatur ordo: si verbis perspicuis & propriis in solenni formula Juris negotium proponitur: Si denique nulla impertinentia tractantur. Denique verisimilis seu probabilis existit narratio, quod fit si circumstantias præcipuas & causam actionis contineat, ut personarum, rerum, loci, temporis, & alias prout quæ facti species id exigere videtur. Semper enim advocatus illas causæ circumstantias optimè exponit, quas ad probationem status causæ necessarias, vel utiles esse intelligit. Et summarè hoc obser-

vam-

vandum est, ut factum, clarè, perspicuè & congruenter narretur, ita ut ex eo aliqua causa resultet, seu medium concludendi, ex quo sequatur conclusio. *Schneidvv. d. loc. n. 108.* In universalibus tamen & generalibus judiciis (*quæ inter se differunt Gail. 1. obs. 68. n. fin. Obrecht. d. loc. n. 44. 45. 46.*) sufficit generalis libelli petitio absque specifica rerum descriptione, hoc pacto: peto à te hereditatem Sempronii, quia sum ejus heres: ita ut non sit necesse specificare & designare res hereditarias: similiter in judicio generali, videlicet tutelæ, negotiorum gestorum pro socio & similibus *text. in l. licet. C. de judic.* Aliud autem obtinet in criminalibus, ubi in libello præter personarum designationem etiam locus & tempus admissi criminis necessario exprimi debent, alias hisce omissis ipso jure libellus fit ineptus *arg. l. 3. in pr. & §. 1. ff. de accusat. Gail. 1. obs. 74. nu. 9. & Myns. cent. 2. obs. 32. qui tamen secund. Socin. consil. 46. n. 13. Vol. 1. hanc sententiam limitat, de quibus vid. ipsum Authorem.*

TH. IX.

Conclusio
libelli.

Conclusio actionis continet aptam petitionem.

Conclusio libelli ostendit, quid nimirum actor à reo convento petit. Hæc enim ex recepta fori consuetudine petitionem continet, quia nulla est actio, nisi in petitione, ejusque persecutione: sicut nec ullum judicium, nisi in quo petatur aliquid *l. amplius 15. ff. rem rat. hab.* Unde actiones petitiones sunt appellatæ *l. extat. 13. ff. quod met. caus.* Et adeò secundum communem Dd. sententiam conclusio in libello necessaria est, quia alias
judex

judex non interponit suum iudicium, nisi imploratus
l. 4. §. hoc autem iudicium 8. ff. de damn. infect. & tota li-
belli vis in petitione & conclusione tanquam in Cardi-
ne versetur, ideoque eam nunquam omitti debere *Gail.*
1. obs. 61. n. 13. & n. 15. inquit: in libello non attenditur,
quid, quale, & quantum narretur, sed quantum ex nar-
ratis concludatur, quia conclusio libelli restringit nar-
rata ad ea, quæ expressè in conclusione dicuntur; unde
Dd. conclusionem, libelli terminum appellant. *Bald. in*
l. edita n. 33. C. de edend. Et Angel. dicit: adeo esse adver-
tendum ad conclusionem, ut non sit potius in libello
aliud. Nam conclusio ampliat, restringit & declarat a-
ctionem intentatam, & ex ea apparet qualiter præce-
dentia sint intelligenda. Sed tamen sciendum est, in
quibusdam casibus non opus esse conclusione libelli.
Si enim I. Agitur de recuperandâ possessione per vim a-
missa: sufficit solum factum exponi: nec petitio neces-
saria est, quia tum in odium violenti inuasoris à iudice
libellus sine conclusione merito admittitur *Jas. in §. 1.*
Inst. de action. n. 135. II. Si agitur coram Principe, & si in
hujus præsentia factum quoddam narratur, tunc non o-
pus est narrationi facti addere conclusionem: quia sine
conclusionem Princeps de facto rectè cognoscit & pro-
nunciat *Jas. d. loc. n. 136.* & quia præsentia Principis sup-
plet omnem defectum & solennitatem *l. 19. C. de testam.*
III. In causis criminalibus libelli conclusio necessariò
non requiritur. In his enim sola narratio sufficit: quia
in his agitur de vindicta publica, ut mali coerceantur, u-
bi iudex ex officio suo & nemine petente procedere &
pœnam infligere potest *l. 13. in pr. ff. de offic. prasid.* IV.
In causis quoque Ecclesiasticis: quia in his iudex ali-

D

quan-

quando exuberantius officium suum impartiri debet *c. ad dissolvendum ext. de desponsat. impub.* V. In iis causis quæ sine strepitu & figurâ iudicii definiuntur *Obrecht. di. 17. c. 11. n. 79.* VI. Exceptionibus propositis, si narrationi subjiciatur clausula, super quibus omnibus & singulis &c. *Umm. D. 6. th. 17. n. 52.* ubi plures ejusmodi casus enumerat.

TH. X.

Absoluta essentiali forma succedit accidentalis, quæ consistit in exordio, narratione, cumulatione actionum, expensarum judicialium restituendarum petitione & clausularum quarundam additione.

Haftenus tractavimus Formam Essentialem sive Substantialem, jam etiam aliquid dicemus de Formâ externâ, quæ uno nomine accidentalia sive libelli accessoria à Dd. passim nominantur.

TH. XI.

Exordium in se continet Nomen Judicis (1.) Actoris (2.) Rei (3.) & Clausulas in praefamine usitatas (4.)

Notum est quinque necessario in libello formando esse observanda & notanda; nomen aut certa aliqua demonstratio iudicis, nomen Actoris, nomen Rei quid petatur, quo jure, quæ ab Interpretibus nostris in hoc comprehensa sunt Disticho

*Quis, quid, coram quo, quo jure petatur, & à quo,
rectè propositus, quisq; libellus habet.* quo

Quorum si unum deficiat ex istis requisitis, libellum ineptitudinis argui posse, putant quo casu seu ex officio l. reo petente libellus rejiciatur, iudex reū ab instantia absolvere, & actorem in expensas cōdemnare debet. *Unde in Curia Saxon. ita pronunciari solet: Daß Beklagter von angestellter Klage in massen die fürgebracht mit Erstattung der Gerichts.Kosten billich zu entbinden.* Interdum additur hæc clausula *Jedoch ist Klägern eine andere/ und förmlichere Klage nochmals anzustellen hiedurch unbenommen.* Nomen iudicis quod attinet necessario requiritur, ut constet coram quo actor alterum conveniat. Actio enim coram iudice institui debet: quia nemo sibi ipsi jus dicere potest *l. extat. 13. ff. quod met. caus.* Non enim ferenda est *ἀναρχία*, ne oriatur occasio tumultus *l. 176. ff. de Reg. Jur.* Debet autem fieri hoc coram iudice competenti, ne reus alias exceptionem fori declinatoriam opponere possit. Sed quæritur an proprium nomen iudicis sit necessarium, ut ponatur. Et existimamus cum *Obrecht. d. tr. c. 11. n. 10.* non esse necessarium, si modo nomen dignitatis & jurisdictionis observaretur, quia hoc modo de ejus persona reo facile constare potest *l. pen. ff. de reb. dub.* Nomen actoris quoque in libello poni debet, ut reus cognitum habeat, quisnam contra eum agat. Et hoc fieri solet, quando per alium in iudicio agitur, nempe per procuratorem aliàs non requiritur, quia semper certus est, & is intelligitur, qui suo nomine libellum in iudicio producit. Et non refert an actor in prima, an tertia persona libellum proponat, quia uterq; modus receptus est *l. 3. ff. de his que in test. delen. l. 3. ff. de publ. jud.* Nomen Rei quoque in libello collocatur, ut constet contra quem agatur. Et distinguendum est, *vel*

reus est certus vel incertus: si certus accuratè debet designari, ut omnis eximatur ambiguitas, reus simul cognoscat, adversus se & non contra alium hanc actionem esse institutam. Sed hic oritur dubium, an nimirum, quando actio adversus plures habetur, singulorum nomina in libello sint exprimenda. Et distinguunt, *vel conveniuntur in specie, vel universe, si in specie* e. g. quando multorum causa vel ob delictum vel contractum vel aliam causam communis est *tot. tit. ff. & C. d. duob. reis l. 1. C. de Fidej. tut. vel curat.* omnium & singulorum nomina sunt exprimenda, ne dubium moveretur, contra quos verè ageretur. Si verò universè contra plures agitur, non opus est singulorum nomina proferre, sed sufficit si præfecti nominentur e. g. Si quis contra Rempublicam actionem instituere vellet, ita dicet: Coram te &c. Comparet Sempronius & adversus Prætorem, Consullem, & Senatam hujus Civitatis agit. *Si reus vero incertus* est, tunc non opus videtur quempiam nominare: Sed Libellus subsistit si tantum Facti species, & alia commodè proponuntur *l. 11. §. proscribere ff. d. Institut. Act.* Jam ulterius quæritur: An necessarium sit exprimere nomen Actionis in Libello: Et *Dn. Hahn. tit. de Edend. n. 7.* indistinctè negat, licet *Wesemb. eod. tit. n. 7.* distinguat de Jure Civili inter Jus ff. & C & illo putat non fuisse necessarium *p. l. 1. §. 1. h. tit. & l. quoties C. de Dignit.* hoc vero jure id necessarium existere *p. l. 3. C. h. 1. & l. fin. C. d. Interdict.* & dicit: verum rectior est Sententiâ Communis simpliciter hoc negans, etiam de jure Civili (1) *p. l. 1. §. 1. h. 1.* ubi nomen non requiritur (2) quod perinde sit, utrum per nomen an verò aliter denominetur *arg. l. 6. de Reb. Cred. l. 34. de Condict. & Demonst.*

monst. Jam sequuntur Clausulæ, de quibus paulo inferius aliquid dicturi sumus.

TH. XII.

Mutatio vel est totalis vel partialis, Totalis Mutatio est, qua fit ante litis contestationem, & Libellum planè tollit, velut Actor planè desistat, vel alium & novum libellum perficere curet.

A Ntequam reliqua Formæ Accidentalis requisita consideremus, pauca quædam de mutatione Libelli proferre volumus, an & quando illa sit permessa. Sed prius notabimus, quid sit mutatio, & Socin. quem Umm. in D. 6. th. 16. n. 26. allegat, dicit: Mutatio vel mutare, est ab edicta actione recedere, & alium libellum formare: veluti si antea ex causa Depositi, post ex commodato agere velim. Si actor in actione erraverit, quæstio oritur: An libellum vel actionem mutare (Klage verbessern) possit? Et cum Nobiliss. Dn. D. Struven distinguere nobis placet ex jure civili: An error sit *in accidentalibus*, an verò *in substantialibus*. Si *in accidentalibus* emendatio permittitur usque ad sententiam, & sic post litem contestatam, eousque obscuritatem & incertitudinem actor corrigere potest l. 66. ff. de judic. l. 46. de Re jud. Si verò error sit *in substantialibus* nimirum circa rem petitam & petendi causam, Mutationem tantum usque ad litis contestationem permissum esse communiter statuunt. Et jus Saxon. tamdiu mutationem libelli concedit usque ad præstitam Guarandam, post præstitam Guarandam verò (wenn Kläger die Gewehr wirklich ange-

gelobet hat) actorem non posse amplius corrigere & mu-
tare libellum. *text. est in art. 14. lib. 3. ubi dicitur: Dies*
weil die Gewehr ungelobet ist/so mag der Kläger bessern sei-
ne Klage/ und darnach nicht mehr. Videtur tamen de ju-
re civili, quod etiam hunc libelli errorem usque ad sen-
tentiam liceat corrigere. *Syntagm. jurisprud. d. edend.*
lib. 41. Si modo (I.) refundantur expensæ Jacob. Schult.
obs. 48. nu. 36. & in ordin. process. judic. Sereniss. Elect. Sa-
xon. tit. 5. §. Do auch einer vers. Er wolle dann die vor-
rige Klage ganz fallen lassen / und eine neue vorbringen/
auff solchen Fall ist er gleichwohl den Beklagten zuvor die
Unkosten auff Richterliche Ermessung zu erstatten schul-
dig. ut secund. Zob. & Berlich. not. Magnif. Dn. Carpzov.
p. 1. const. 11. def. 9. (II.) Detur Reo ad deliberandum
spatium arg. l. 1. ff. d. edend. vid. Magnif. Dn. D. Unge-
paur. Præceptorem & Patronum meum omni observantiæ
cultu venerandum. in Exerc. Justin. 15. q. 7.

TH. XIII.

Mutatio partialis, quæ à Dd. emendatio
appellatur, errorem in actione commissum
emendat, vel actioni aliquid addit salvâ ma-
nente substantia.

Schneidvv. hanc mutationem quasi per compen-
dium describit, dicens. Emendare, libellum est corri-
gere libellum absque mutatione substantiæ materialis,
ut quando mutantur vel declarantur verba obscura,
sententia tamen permanente, item quando additur vel
detrahitur quid, salvâ tamen substantia materiali libel-

li §.



li §. si minus 34. Instit. de action. n. 5. & Vultej. in Inst. eod.
tit. pr. n. 68. refert. Emendatio libelli conceditur, quæ
fit superflua rescando, concisa addendo, confusa distin-
guendo, obscura dilucidando. v. g. Institutus contra te
actionem ex vendito ad 100. & postea in libello adhuc }
50. addo: ista dicitur emendatio libelli. Licet enim ad- }
datur summæ aliquid petitæ salva tamen manet sub-
stantia materialis, idem contractus, eadem obligatio, &
eadem actio. Mutare verò libellum est alterare substan-
tiam ipsius libelli: vel veteri actione relicta novam eli-
gere, & aliam proponere actionem ut supra diximus. Et
hæc emendatio non solum ante litis contestationem,
sed etiam usque ad sententiam, prout edicti perpetui
monet authoritas, vel jus reddentis decernit æquitas,
permissa est. l. 3. C. de edend.

TH. XIV.

Propria Libelli adjuncta sunt non esse ob- Libelli
scurum (1.) non incertum (2.) neque Genera- adjuncta.
lem (3.) aut alternativum (4.) & debitam
quantitatem non plus minusve continere (5.)

Jam nos convertemus ad reliqua libelli requisita
& (1.) Non debet esse *obscurus*. *Obscurus* enim fit, si mul-
ta occurrunt ambigua, æquivoca & dubia quo judex
certam sententiam, quæ libello conformis esse debet,
ferre non possit, & iste libellus nullius est momenti l.
fin. C. de anal. except. Sed generaliter notandum, libel-
lum obscurum, inordinatum siquidem à reo contra e-
um ante litem contestatam non exceptum fit, subsiste-
re & postea in processu litis declarari posse; quod si verò
con-

contra eum exceptum fuerit, & actor illum ante litem contestatam non emendaverit, processum ipso jure nullum esse. *Zaf. ad d. §. si minus 34. nu. 3. Inst. Ludovell. in Not. ad Par. Wesemb. d. edend. nu. 4. in fin.* (II.) *Incertus* verò Libellus est in quo nihil certi petitur aut concluditur. Admittitur tamen (1.) Si incertitudo veniat ex parte objecti, ut in obligatione alternativa, generali, & obligatione faciendi, aut si sit incertitudo ratione rei quæ petitur *l. 1. §. 4. ff. quod legat. l. 13. §. fin. ff. de re jud.* (2.) Si justa fuerit actoris ignorantia *l. 76. §. 1. ff. de rei vind. §. 3. Inst. de action.* (3.) Si contra libellum incertum nihil opponatur *Dn. Hahn. tit. d. edend. n. 3.* tunc verba libelli in favorem actoris interpretanda sunt *Dec. in c. cum super n. 12. d. offic. deleg. idem consil. 212. n. 4. & Panorm. in c. examinata n. 18. de judic. dicit:* Verba libelli latè intelligi debere, ut includant intentionem libellantis. (III.) *Neque Generalis.* Generalitas enim obscuritatem parit. Sed quia hoc regulare est, ideoque aliquando generalis admittitur libellus, ut in judiciis universalibus & hereditatis petitione, item petitione dotis *arg. l. 1. d. rei vind.* Ratio, quod dotis fructus tum ante tum post matrimonium solutum percepti, itemque alia, quæ in fructu non sunt dotem augere dicuntur *l. 6. l. 11. ff. solut. matr. l. 5. de impens. in res dot.* Deinde exceptio est in judiciis generalibus, ut tutelæ, pro socio, de peculio *vid. Bachov. ad Treutl. V. 1. D. 4. th. 11.* (IV.) *Neque alternativus.* Regulariter enim libellus alternativus non valet *l. 7. §. quod autem ff. de injur.* quia alternativa obscuritatem & incertitudinem adfert, libellus verò perspicuus & clarus esse debet, ad hoc, ut reus deliberare possit, utrum contendere an cedere velit, & judex certam sen-

ten-

tentiam proferre possit ut dictum est *Gail. lib. 1. obs. 62. n. 1.* Excipiuntur verò quidam casus, quorum 1. Si ex oblatione alternativa agatur §. 33. *Inst. de action. vers. huic autem.* 2. In materia, qualem casum nobis monstrat *l. 2. C. d. rescind. vend.* quia secund. 1. emptor aut precium supplere, aut rem venditam reddere tenetur. 3. In actione hypothecaria ut putat *Gail. lib. 1. obs. 62. n. 8. 9.* quâ liceat creditori contra possessorem hypothecæ agere, ut vel solvat, vel pignus restituat *l. 16. §. 3. ff. de pignorib. l. 12. §. 1. quib. mod. pign. vel hypoth. solv.* v. g. peto illum condemnari per traditionem rei obligatæ, vel ad solvendum debitum *l. 16. §. 3. ff. d. pign. & hypoth.* Potest enim in actione hypothecaria possessor rem retinere, & litis æstimationem creditori offerre *l. 2. ff. quib. mod. pign. vel hypoth. sol.* cui tamen *Dn. Hahn. d. loc.* contradicit. Hisce casibus adjungit duos adhuc *Dn. Carpzov. part. 1. const. 2. def. 9. & 10.* nimirum in causis mercatorum & in causa criminali, in quâ actori vel Rei condemnationem vel torturam petere liceat, id quod ex *Nicolai Reus. decisionib.* pro cautela notandum docet. Plures allegat *Socin. (IV.)* Et denique R. debitam quantitatem non plus minusve pertinere. De quibus *in th. sequens.*

TH. XV.

Plus minusve petere fit vel re (1.) vel tempore (2.) vel loco (3.) vel causa (4.)

In hâc thesi offeruntur quatuor modi, quibus quis dicatur plus petere, quorum primus est, quando petitur (1.) *plus re*, ut quis petit 20. pro 10., vel quis petit totum fundum, cui tantum una pars debetur, vel totam hereditatem, in quâ tantum pro parte est heres institutus,

E

quæ

quæ petitio fit tribus modis, nempe genere, specie, & quantitate. *Genere* plus petit, qui petit equum & bovem, cum solus bos debeat. *Specie* plus petit, qui petit fundum Cornelianum & Sempronianum, cum solus Cornelianus debeat. Sic *quantitate* plus petitur: & uti ex Logicis constat quantitatem aliam esse continuam, aliam vero discretam, tunc fit petitio in *quantitate continuâ*, veluti qui integram domum petit, cum tantum pars superior illi debeat. *Discreta* vero, qui petit 200. aureos, & 100. tantum sunt in obligatione. *Obrecht. d. tr. c. 19. n. 5. 6.* Deinde petitur plus (II.) *Tempore*, quando quis præmaturè ante diem destinatum & conditionem petit. Quâ enim ratione, qui tardius solvit, quam solvere deberet minus solvere intelligitur; eâdem ratione, qui præmaturè petit plus petere videtur §. 33. *vers. plus autem Inst. d. action.* Is autem ante diem plus petit, qui Cal. Martii petit, quod illi ad Cal. Augusti est promissum: quia ante tempus solutionis petit. l. 1. §. ult. ff. *quand. dies ususfr. leg. ced.* Dies enim est pars obligationis, sicut & solutionis l. 22. ff. *d. act. empt. l. 1. §. 1. ff. d. edend.* Quid petitio ante conditionem sit vid. *Obrecht. d. loc. n. 14. e. g.* Stipulatus à te 100. sub hâc conditione si navis ex Asia venerit, statim verò antequam navis venerit, peto. (III.) *Plus loco petitur.* Veluti cum quis id, quod certo loco puta Norimbergæ sibi dari stipulatus est, loco verò alio, puta Lipsiæ, petit, sine commemoratione illius loci, in quo sibi dari stipulatus est. (IV.) *Quartò restat causa*, quæ non immerito præcedentem sequitur: quia ut præcedens loci, ita hæc electionis commodum debitori aufert. *Obrecht. d. loc. n. 20.* Petit autem causa, qui in modo & forma obligationis plus postulat, quam in ea deno-

mina-

minatur. e. g. si quis in genere vinum debet, ego verò
Rhenanum peto. Propterea plus re petere, & plus causa
petere differunt: quia qui plus re petit, aliquid omninò
indebitum petit: veluti 100. pro 50. qui verò plus causa
petit, is non omninò petit indebitum: quia in obliga-
tione generis qualibet species, & in obligatione disjun-
ctiva utraque res promissa continetur *l. 66. §. duorum ff.*
d. legat. 2. l. 25. ff. de constit. pecun. Item si ex promissione
alternativa eaque tam *simplici, quam mixta* purè agitur,
Simplici, quæ vel *Rerum*, ut si quis à te 10. Equos, aut 200.
aureos stipulatur, *vel locorum est*, quando quis à te mille
aureos Lipsiæ, vel Francofurti solvendos stipulatur.
Mixta, quæ locorum & rerum simul est, si quis stichum
Dresdæ & 100. aureos Lipsiæ dare promittat. Et in hâc
obligatione alternativa electio est debitoris *l. 10. §. ult.*
ff. de jure dot. Olim de jure antiquo plus petens re, loco,
tempore, & causa pariter & æqualiter puniebatur, ita ut
caderet causa, & omne jus suum amitteret, quod tamen
hodiè *ex Constit. Zenonis* sublatum est, excepto tamen
uno casu *l. unic. C. de plus pet.* ubi duobus concurrenti-
bus, plus petens adhuc hodiè causa cadit, si quis plus pe-
tit re & dolosè etiam extorquet cautionem obligatori-
am vel satisfactoriam à reo *l. 3. C. d. plus pet. §. 33. Inst. d.*
actio. Et si quis hodiè plus petit tempore, damnatur ad
duplicationem induciarum vel temporis, ita ut duplex
plus & diutius cogatur expectare. Sin autem quantita-
te vel alio modo plus fuerit petitum, in omne, si quod
fortè damnum ex hâc causâ acciderit ei, contra quam
plus petitum fuerit, commissa tripli condemnatione
puniatur *d. §. 33.* Jam sequitur ut etiam aliquid de eo, *si*
minus quid in libello petitur, dicamus, veluti cum mihi

deberentur centum floreni, ego verò quinquaginta intendo: vel cum totus Sempronii fundus esset meus, ego tantum dimidiam peto partem §. 34. *Inst. d. tit.* Item quando *aliud pro alio peto*, quod fit vel *Re ut si* is qui hominem petere debuit, petit Stichum, vel qui pro cerevisiâ, cerevisiam Naumburgensem petit. Vel *causa*, si quis ex testamento 20. postulat, quod ei ex stipulatione debetur. Et qui hoc intendit: nihil eum periclitari placet, sed in eodem iudicio, cognita veritate errorem suum corrigere permittitur §. 35. *Inst. d. tit.*

TH. XVI.

*Clausula
Libelli.*

Clausula quæ solent inesse libello, vel post exordium (1.) vel post facti narrationem (2.) vel post conclusionem sive petitionem collocantur. (3.)

COgnitis libelli requisitis, quæ hodiè communi usui necessario requiruntur, sequuntur quoque clausulae, quæ quidem vel adesse, vel abesse possunt, citra libelli destructionem. Et ponuntur (1.) quædam post exordium hæc in formâ: *Non se adstringens ad superfluam, sed tantum necessariam probationem: Mit Vorbehalt und Bedingung/sich zu keiner überflüssigen Beweissung zu verstricken/sondern alleine dasjenige zu bescheinen und auszuführen/das zu Erhaltung seiner verhofften Gerechtigkeit Klägern dienstlich und zuträglich.* Si enim actor in libello multa proponit, tunc videtur ad omnium & singulorum probationem se obligare: quia in istum finem omnia proposuisse intelligitur. Et nisi hæc clausula sibi prospexerit, tenetur omnia probare, nam positâ hæc plura quis pro-

probare non cogitur, quam quæ ad statum causæ pertinent *Bart. in l. 33. num. 6. ff. d. Re jud.* Et licet *Bald. in l. 5. C. de liberal. caus.* hanc clausulam inutilem esse putet, cum necessitas probandi a-ctori à jure sit imposita *l. 23. C. de probat.* Communis tamen, licet jure communi a-ctori impositum sit probare, quæ ad statum causæ spectant, in aliis tamen non item *l. 65. ff. de V. O.* quia reliqua re-vera ad rem non pertinent. *Obrecht. d. tract. c. 16. num. 3.* Et obi-ter notandum, quod etiam hæc verba plerumque soleant adjici: *Es wil ihm auch Kläger vorbehalten haben / wo ihm einige Be-weisung / zu Erhaltung und zu Ergründung seiner Gerechtigkeit von Nothen / oder rechtlichen zu erkant würde / dieselbe gar oder zum Theil (omni tamen superfluo excluso) zu verführen / oder den-selben gar / oder zum Theil abzustehen und dem Beklagten in sein Wolbewust und Gewissen zustellen / wie ihm den daß am allerfüg-lichsten und zuträglichsten seyn wird / davon er allenthalben öffent-lich bedinget.* (II) Post narrationem *Facti* plerumque in hodi-erno foro clausula hæc in usu tenetur: *Sequidem hactenus amicè Raum sepius de Solutione, vel de Restitutione compellasse: at præter spem nihil obtinuisse: Wiewol Kläger oftmahls Beklagte / dero-halben in der Güte angelaget / und umb Bezahlung freundlich erinnert / oder wieder Bestellung und ein Raumdung seiner Sache ersucht / so hat er doch auser dieser Nothgedrengter Rechtfertigung / bey ihme nichts erhalten und erlangen mögen.* Hanc Clausulam, quam alias denunciationem appellitant, hoc loco superfluam esse communiter tenent *Dd.* Alii vero affirmant & dicunt Urbani-tatis ergò fieri, alii non Necessitatis causam prætendunt. Qui pri-orem defendunt sententiam, existimant: Debitoris verecundi-am publico judicio non statim esse prostituendam, humanius e-nim est, antequam aperiuntur actiones forenses, prius denunciare Debitori ut solveret, quam sententiam *Obrecht. d. tr. c. 16. n. 12.* æquam & usu receptam esse dicit, adeò, secundum aliorum opi-nionem eâ omitta Actorem in expensas condemnandum. Qui ve-ro posteriorem arripiunt sententiam, non quidem negant æquum esse & humanum: sed non necessarium. Et possum Debitorem in jus vocare non commonitum & nullâ facta interpellatione ex-trajudiciali. *Schneidw. d. t. in pr. n. 122.* dies enim interpellat pro homine. *l. 12. C. de contrah. & commit. stip.* (III.) *Tertia Clausu-*

Ita quæ post Conclusionem sive petitionem locum obtinet fermè hunc in modum hodiè profertur: Peto reum conventum condemnari ad solvendum & faciendum, & ad prædicta cogi & compelli, Viti de rowegen Cläger in Recht zu erkennen, aus zusprechē und zu erklären / daß der Beklagte ihme puta 100. Gùlden zugeben schuldig / und Beklagte darein zu verurtheilen / auch durch ordentliche und bequeme Mittel des Rechts abzuhaltē und zubringen. Schneidw. d. loc. n. 126. Sed hoc loco variæ Cautelæ & Clausulæ simul occurrunt. Ut peto reum condemnari & vi Juris compelli: quam Clausulam adeò necessariam esse putat, quasi alias non possit subsequi executio sententiæ, nisi antè petita. Sed alii, qui inanem & superfluam hanc esse dicunt, petita condemnatione quoque ejusdem executionem petitam volunt, quia in nullum alium finem condemnatio petitur, quam ut res Actori adjudicetur, & ad judicata executioni mandetur. Jason. §. 1. Inst. d. Action. n. 139. quæ sententia altera Communior est. Nihilominus tamen, ut præciatur adversariis disputandi occasio, tutius videtur esse, utramq; conjungere. Deinde peto reum condemnari in expensas. Hanc Clausulam Jason. non solum utilem, verum etiam necessariam esse ait d. loc. n. 145. Licet enim regulariter expensæ victori debeantur: adeo ut Judex, si earum nullam rationem in condemnatione habuit, eas parti resarcire teneatur l. 13. §. si autem alterutra 6. l. 15. C. de Judic. Attamen hoc verum est, quando expensæ per partem fuerint petitiæ l. 4. §. 8. ff. de Dam. infec. Tertio super quibus omnibus & singulis reverenter petit Jus & Justitiã sibi ministrari. Nisi enim Judicis officiũ solenniter invocetur, raro judex succurrit l. 4. §. hoc autem ff. eod. r. & l. 18. ff. d. Comm. divid. Et hanc Clausulam, volunt Dd. adeò esse salutarem, ut omnem actionem quovis modo competentem, contineat. Imploratur enim officium Judicis, qui deinceps poterit supplere & impartiri suum officium. Deinde quando ex Facti narratione deducuntur plures actiones, quarum aliæ aptæ sunt, aliæ verò ineptæ, ac fortè Conclusio fit in eâ, quæ est inepta: adjecta illa Clausula libellus sustentabitur. Schneidw. d. loc. n. 129. Denique additur hæc Clausula in fine Libelli: Salvo jure addendi, minuendi, corrigendi. Et quia hanc Clausulam suprâ adduximus, ideo non necessarium erit, eandem hoc loco repetere.

TH. XVII.



TH. XVII.

Libelli Finis (1) & Effectus. (2).

Canon Philosophicus est, omnia quæ sunt & fiunt propter finem sunt & fiunt, quo indicare volunt, nihil in universo hoc fieri, quod non certum sibi proponeret finem. Sic quoque res se habet cum nostro Libello, qui proponitur in iudicio, ut finem suum assequi & attingere possit. *Est autem Libelli finis, ad quem collimat, primarius, ut Actionis desiderium proponat. l. 1. ff. d. Postul. & ut iudici & adversario speciem litis demonstret l. 3. C. d. Edend.* Libellus enim continet actionem *l. 1. ff. eod. t.* Actio comprehendit jus persequendi in iudicio, quod agenti debetur *l. 51. ff. d. oblig. & action.* Hoc jus vero ut iudex simul & adversarius noscat, Libellus exhibetur: qui tam necessarius est, ut sine eo nec iudex sententiam, nec reus an cedere an verò contendere debeat, deliberare possit *d. l. 1. ff. d. Edend. Obrecht. d. tr. c. 18. n. 1.* Effectus vero Libelli sunt. I. Ut Actor narrata affirmet & fateri credatur *Bald. in l. cum precum. n. 1. C. de liberal. caus.* Hæc enim ratione Actor libellum proponit, ut asserat, reum sibi aliquid debere: exinde jus hujus debiti solet persequi *d. l. 51. ff. de Oblig. & Act.* Unde Libelli contenta contra Actorem quasi expresso probant: Et reus tenetur libello respondere, & nisi respondeat, Contumax dicitur. Excipimus tamen Libellum ineptum, vitiosum, & contra stylum Curie conceptum, ut ex eo intentio & jus Actoris percipi nequeat, qualis libellus à limine iudicii procul removendus; & dentibus quasi, ut loquuntur Dd. lacerandus est. *Gail. Obs. 66. n. 4.* II. Quod rem faciat litigiosam. Appellatur vero res litigiosa, de cujus Dominio causa movetur inter possessorem & petitem, judiciaria Conventionione, vel precibus principi oblatis. *Nov. 112. c. 1.* III. Quod interrumpat præscriptionem. Si quis enim adversarium suum in iudicium vocavit, eique libellum Conventionis obtulit, vel transmisit, eo ipso præscriptionem interrumpit. *l. ult. C. de Annal. Excep. Obrecht. d. tr. c. 18. n. 18.*

TH. XVIII.

*Thesibus nostris Coronidem imponit Cumulatio Actio-
num.*


*Cumulatio actio-
num.*


Etionum, quæ plurium rerum nomine competentium, actionum coacervatio est contra unum vel plures in iudicio, eodem in libello ritè facta.

Licet in Jure nostro nullus singularis T. reperiatur de Actionum Cummulatione, attamen ex multis locis satis colligi potest, hanc juris partem à Jctis non neglectam, sed diligenter excussam fuisse. Et quia expressè à jure non prohibita reperitur: ideoque dicunt eam esse de genere permissorum. *Obrecht. d. tr. c. 24. n. 1.* Quod ipsam cumulationem attinet, communis est Dd. Sententia, plures actiones in uno eodemque libello, si ex diversis causis ad diversa agatur, conjungi atque cumulari posse *l. 11. ff. de Jurisd.* Et tali casu quando plures actiones in uno libello cumulantur, judex diligenter ad singulas actiones, & ad singula facta attendere debet, quæ actio cuiq; Facto competat, quid quantumq; in quâlibet actione probatum sit. Nam quot sunt facta, tot sunt actiones & libelli *l. scire debemus ff. de V. O. & totidem sententiæ requiruntur. Gail. 1. Obs. 63. n. 3. 4. 5.* Dividitur vero cumulatio *vel in Realem*, quando plures actiones in rem concurrunt, ut si ejusdem rei nomine ex duabus causis, bis rei vindicatio competere videatur. *l. 14. §. 1. ff. d. except. rei. jud. vel Personalem* quando plures actiones in personam concurrunt: ut si ejusdem rei nomine duplex actio empti. *l. 18. ff. d. Actio. empt. vel mixtam*, quando Actio est in rem & in personam ut Condictio & rei vindicatio *l. 1. C. comm. de legat. Personalis* rursus dividitur in rei persecutoriam, quando plures actiones rei persecutoriæ concurrunt. *Pœnalem*, quando plures actiones pœnales concurrunt. Deniq; *talem mixtã* quando & actiones rei persecutoriæ, & pœnales concurrunt. De quibus *vid. Obrecht. d. tr. c. 21. n. 9. & seqq.* Hæc verò Divisio non de Jure Civili, sed ab Interpp. introdueta est. Forma videtur esse, ut in eodem Libello, unius vel plurium rerum nomine, contra unum pluresve, aliquot actiones ex una causâ vel pluribus ex causis descendentes, ritè jungantur. Ritè autem copulari intelligitur, si actiones cumulatæ simul subsistere possunt. Reliqua huc pertinentia addere non admittit charta, hinc disputationi nostræ cum DEO finem imponimus.

•••(•)•••

Alayi de 21to april. 1706.





2000 A 6273


ULB Halle 3
002 846 500



56.

V. D. 17
P. 10







DISPUTATIO JURIDICA
De
LIBELLO,

vulgo
Clage oder Claglibell/

Quam
Consensu Magnifici Jctorum Ordinis
in Illustri SALANA
SUB PRESIDIO
VIRI
Nobilissimi, Amplissimi, Consultissimi & Excellentissimi
DN.

JOHAN. VOLK. Bechmannus/

J. U. D. Famigeratissimi & Profefs. Publ.
Extraord. meritissimi,
Patroni, Promotoris & Præceptoris sui omni honoris,
& observantia cultu devenerandi,
Publicè discutiendam offert

ADAMUS NICOLAI, Budis, Lusat.
Autor

Addièm Octobr.
In Auditorio Jctorum.

JENÆ Typis JOHANNIS NISII.
ANNO MDC LVIII.

